

O R A T I O
DE "CORONA PATRVM ERASMIANA"

THEODERICO SACRÉ EIVSQVE COLLEGIS
SEMINARII FILOLOGIAE HUMANISTICAE
IN STVDIORVM VNIVERSITATE CATHOLICA
LOVANIENSI PENES BELGAS

D I C A T A
A RENATO VGLIONE



uadraginta abhinc annos, Augustae Taurinorum Adsocietatis Italicae Classicitati Colenda (AICC) legatio in studiis humanioribus litterisque de munere fouendis operatur. Hac quidem Taurinensi legatione curante, quae a memet ipso, Renato Vglione, Adsocietatis nuper memoratae propraeside nationali, ab origine regitur, XL annos coram oppidanis pleraque doctrinae lectisternia suae Palladi sunt opipare oblata, et tanta nostratum sedulitate ut a Pedemontanis locis fama talium inceptorum totam per hanc paeninsulam longe lateque manaret: atque eorum in primis publici proferantur conuentus oportet circiter XX, quibus omni ex Italia auditorium maximum interfuit undecumque congregatum: neque magistros tantum scholarumque discipulos, sed tam mulieres quam uiros, communium litterarum ac politioris humanitatis haud expertes, acroasium illarum participes constat fuisse, et frequentissimos quidem. Varium multiplicis operae testimonium plurimis perhibetur uoluminibus, quae Actis horum symposiorum rite uulgatis censuram ab existimatoribus ualde beniuolam mentionesque honorabiles in ephemeridibus philologis, iisdemque tam patriis quam externis, persaepe meruerunt.

Studentes idcirco quo melius opportuniusque ea confirmarentur instituta, quae non Allobrogibus nostris modo, uerum Italis quoque eruditioribus uiris non mediocriter profuisse uidentur, neque haec tot experientiarum messis usque ad id tempus exaggerata dissiparetur atque insimul patrimonium quodammodo morale tot per annos feliciter accurateque aceruatum, legationis Subalpinae AICC moderatores

Taurinense uirorum litteratorum sodalicium condere statuerunt, quod CESV inscribitur, i. e. Centro Europeo di Studi Vmanistici nostratim, seu Collegium Europaeum Studiorum Humanitatis, quodque in “Desiderii” illius “Erasmi” honorem eodem “Roterodami” nomine sunt auspicati; quippe cui uiro natione Batauo, Attico subtilitate, cultu linguaque Latinissimo, mente ingenioque prorsus Europaeo, doctoralem sacrae theologiae lauream ac dignitatem ipse Taurinensis Athenaei senatus olim (A.D. 1506) tribuit merito.

Hoc igitur Collegium rite censitum, lege constitutioneque propriis ad regulam temperatum, cum suaे potestatis suique iuris omnino sit omnes curas labores opes conferre atque impendere ut agnitione promoueatur hereditatis illius locupletissimae Europaeorum omnium: trifariae primum - Graecae uidelicet Romanae Christianae - deinde, ueluti pretiosissimi in testamento legati, cura et studio SS. Patrum scriptorumque Medii Aeuī diligentissime Europae cunctae traditae usque ad Renatam quam dicunt Humanitatem, ut, liberalia per studia, aliis alii potissimum proficiant.

Quod quidem agetur, Deo beniuole uolente, utpote cum haec ad egregia proposita sententia simus adducti minime fallaci, dum opera huiusmodi fundata, ad artes optimas litterasque fouendas, apud nos magis magisque ualitura quam persuassissimum habebimus. Namque quin hodie humanitas nostra pergrauiter periclitetur ultra aequora quoque et montana munimina, neque solum heic apud nos citraque Alpes, nemo sanest qui infitias eat. Nihilominus, utcumque sese ea res habebit, quis bonae mentis dubitet quin omnibus uiribus sit perseverandum, praecipiendo erudiendo edocendo, ne humanarum disciplinarum institutio munus suum a maioribus traditum indigne inpieue dimittat?

Quam ob rem publico salutis iuuamini uotis litamus candidis ne operae deferuescat ardor, quam, una cum pluribus humanitatis communione consociati, cultui liberalium studiorum sollicite dabimus, immo quo uiuidioribus flammis idem in dies reflagret, corda mentes animos audacter accensurus. Quoniam etsi “bellum” - proinde fatemur ut Roterodamus noster - “inexpertis tantum dulce”, at tamen sagum, nostra aetate, sumere non est indignum, quandoquidem sapientiae castra fideliter sequi ac strenue defendere “decorumst” maxime.

Vt suscepta liberalibus pro disciplinis consilia atque proposita quam optime fuerentur alerentur proueherentur ad humanitatis artes ac

disciplinas tam discendi quam docendi excolendas, operasque praesertim his temporibus peropportune augendas, cohors sociorum, qui Collegio Europaeo Studiis Humanitatis prouehendis (CESU) praesunt, docta magnanimaque inaugurauit incepta, geminum Christianorum scriptorum corpus instruere ex sententia constituens cui inscriptio CORONA PATRVM ERASMIANA. Cuius si rationem tituli quis quaesierit, ea palam piaeclareque declarabitur: quippe cum florulentorum eiusmodi sertorum compositores non solum, dum uires suppetant, sibi praesertim statuant noua edere opera Ecclesiae Patrum Auctorumque Renatis Litteris florentium - quod quidem piaecipuum propositum inest huic oneroso atque operoso incepto - uerum etiam corpus illud scriptorum ecclesiasticorum inmerita obliuione eripere studeant, quod CORONA PATRVM nuncupatum, librariis SEI - seu Societatis Editricis Internationalis - in aedibus olim adparabatur. Hoc fit scilicet, ut uetere tamquam ex fonte, eodemque adhuc uberi tamen, sitiens eruditorum familia rursus exhauriat, quandoquidem de hoc operum magis quam laudabilium repositorio nonnulla inter ualidiora ac praestantiora selecta, nonnisi accuratissime renouata, singulari cura ac diligentia prelis remittemus. Atquin exquisito elegantiorum exemplorum delectu, hunce dumtaxat per laborem, incepta nostra commendari posse speramus; quae politioribus saltem, urbanioribusque uiris neque incommoda neque omnino ingrata fore confidimus.

CORONA PATRVM ERASMIANA igitur, quod corpus proxime autumauimus esse duplex, binos in ordines ita dispertitur, quorum "Series Patristica" prior, alter uero "Series Humanistica" nuncupantur, ut index auctorum bifarius seorsum contineatur; qui tamen - tum prisci Patres Ecclesiae cum Scriptores Renatis Litteris florentes - uelut uno ex agmine prodeuntes, discreto licet temporis spatio, non absque causis apud Europaeos institutionum ingenuis studiis tradendis atque tuendis conditores adhuc habitu sunt, a tardisque nepotibus etiamnunc celebrantur. Namque hoc saeculum, quantumcumque id est, haud intellegi potest aliter ac si postrema eademque doctorum illorum aetas esse pro certo habeatur, qua, iisdem triplasiae conuersationis auspiciis, Graecitas, Romanitas, Christianitas, propitiis prosperisque inter sese conloquiis diu uarieque quasi sermocinantes, adeo consertae sunt, ut hinc inde secum in symbolum coniunctae, figurate confoederarentur, denique in meram gratiam sub Roterodami illius nomine feliciter coirent. Cuius magistri - tot, tantisque operibus in posteritatis admirationem mansuris - de ingenio praedicare atque industria superuacuumst sane, cum is - ut

omnes ferme consentiunt - Christigeni uiri *typos* eiusdemque litterati sit *kat' exochén* factus, quia philologus exstisset uidetur cunctorum optimus in "re publica litterarum", immo princeps, Europaeque praceptor, qui animum uitam opera indefesse instituit ad exemplar animi numquam non "docta pietate" exornati.

Itaque Series uoluminum utraque, quam diptycham quidem superius diximus, tum Patristica, tum Humanistica, e typographeo Hermanni Loescher Taurinensi diligentibus curis eorum diuulgabitur qui, in CORONAE PATRVM ERASMIANAE moderatorum collegium cooptati, ad scriptores illos egregie edendos summo studio ac religione se contulerunt. Ergo, dextris omnibus, huius bibliothecae penetralia - uel horti saepta, quo uerba rebus aptentur fortasse aptiora - "rei publicae litteratorum" uniuersae iam per sodalicium nostrum patebunt: etenim ad CORONAM purpureis uelut e floribus conserendam, quos semper uia PATRVM uirecta benignissime submittunt, editiones archetyporum operum quam integerrimae opitulabuntur, uigilantissime ad excellentium codicum fidem recognitae, criticis quae dicuntur adnotationibus semper instructae, amplissimis praefationibus commentariis indicibus adiectis, italicis interpretationibus de more additis.

Sed locus hic est recensendi uolumina iam edita quaeque in posterum sunt exitura.

Tantummodo praeterito biennii spatio iam quinque opera "in luminis oras sunt exorta" (cf. Lucr. I), quae Tertulliani *De monogamia* Cyprianique *Ad Demetrianum* sunt, ex "Serie Patristica"; Erasmi Roterodami *Ciceronianus* atque *Colloquia*, Iacobi Sannazaro *De partu Virginis*, ex "Serie Humanistica". Hoc anno exeunte - Deo adiuuante - ex prelis opera exhibunt Minucii Felicis *Octauius* et Ambrosii *De Nabuthae*. Quae insequetur singulare quidem uolumen controversiam illam contingens inter Erasmum et Lutherum *de libero arbitrio*.

Proximis autem annis "Series" nostra "Humanistica" opimis atque uberrimis locupletabitur fructibus inuestigationum doctorum qui operam opipare praestant "Erasmi opificiae" (i.e. "Laboratorio Erasco") apud Romanam Studiorum Vniuersitatem cui index "La Sapienza" nuper constituta. Propterea, cura et studio eruditorum huius - ut uere dicam - "seminarii", Collegium nostrum prelis praestantiora, eademque maxime peruulgata, praebebit opera eiusdem Roterodami, in quibus principem obtinent locum *Encomium illud Moriae, Enchiridion,*

Ratio seu Methodus, Paraclesis, Antibarbarorum libri, De immensa Dei misericordia, nec non Praefationes illae Patrum Ecclesiae Erasmianis editionibus.

Huic nostro incepto illud propositum est: ut quam uitalis etiamnunc sit humanitatis ac bonarum litterarum uis appareat et exstet: quantum ipsa ualeat ad iuuenum ingenia bene instituenda atque informanda, ad regendam administrandamque rem publicam, ad naturales quaestiones ratione quadam tractandas et uia: denique ad humanum genus humanius efficiendum.

Quotiescumque enim nos cum iis, qui multis ante saeculis in his terris uixere, composuimus, tunc planius animi nostri uitaeque, quam cottidie exigimus, nobis consciī fieri solemus, atque firmiora futuri temporis iacimus fundamenta, quasi robustissimae quercus, quae - ut ait Zielinski ille - cum radices in terram egerunt, noluerunt uerum retrorsum regredi, quin immo trunco sursum tollere, ramos late diffundere, gemmas flores fructus quam uberrime edere expetiere.

Est enim "humanitas" tamquam patria omnium communis, qua quidem homines, inter sese sermone religione institutis diuersi, alii cum aliis, omni discrimine longe remoto, artissime coniunguntur.

Studia "humanitatis" nuncupantur - iuxta Leonardi Bruni illud - "quod homines perficiant" atque exornent. Ac "liberales" dicuntur illae disciplinae non modo quod sint libero homine dignae, uerum etiam quia hominem "liberum" efficiunt: liberum sane ab omnibus praesertim praeiudicatis opinionibus, ab illo turpissimo ac deformi rerum obsequio, quae in more esse uidentur. Atque eadem adeo liberum animi iudicium faciunt, ut, praeiudicatis quibuslibet opinionibus excussis atque exclusis, "nullius addictus iurare in uerba magistri" - ut Horatium quoque nostrum memorem -, homo ad rerum ueritatem totus contendat consequendam.

Nunc uelim desiderantissime hominem quem appellant "Europaeum" adloqui, monitione illa aptissima utens Leonis Magni Papae ad Christianum baptismate renatum: "Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam!" (*Sermo I de Natiuitate Domini*). Idem recte adfirmare possimus ad eandem Europam nos conuertentes: "Agnosce, o Europa, dignitatem tuam!", quae idem ualet ac "dignitas hominis", quam omnes Patres tui, primum Graeci et Romani, dein Christiani, contemptis omnibus omnis generis difficultatibus dubiis repugnantiis, animo conceperunt definierunt propugnarunt!

Ex agnitione illa (“agnosce!”) omnia iura emanauere libertatesque - quas appellant conscientiae opinionis religionis etc. - quae Europam effecerunt singulare quoddam exemplar humani generis cultusque memoriae.

“Humanitas” de qua loquimur pro certo habet “hominis dignitatem” idem ualere ac libertas uariis suis formis occurrentes atque figuris; immo uero hominem ipsum - quod quidem mirabilius est! -, utpote ratione praeditum atque oratione, “imaginem Dei” quodammodo esse.

Ob talem ac tantam dignitatem homo uitam suam bene gerere potest atque rem publicam; praeterea idem contra “Fortunae” uires, sua ui ac uoluntate, “Virtutem” obicere numquam non ualet actuosam ac sollerterem. Qua sublata, omnino uariae ortae non essent artes, neque litterae nec scientiae nec philosophia nec ratio rei publicae administrandae neque tribunalia iuraque.

Quam ob rem, his temporibus inquis, aequo honestoque utile persaepe praepONENTIBUS, quam maxime necessariumst recogitare funditusque denuo constituere “humanitatem” illam, quae nostrae Europae uerum habetur atque ingenuum fundamen idemque firmissimum ac solidissimum.

At res, quae nunc sunt, omnino alio tendere uidentur. “Saeculum est” - dixerit quispiam - “ac saeculo parendumst”...! Nos uero, uno ore cum Augustino, respondemus: “Nos sumus tempora: quales sumus, talia sunt tempora”!

RENATVS VGLIONE

Praeses Collegii Europaei Studiorum HVmanitatis (CESU)
Desiderii Erasmi Roterodami nomini dicati

Augustae Taurinorum, Feriis Augusti, A.D. MMXVIII